

## TITULUS VIII.

## De Concessione Præbendæ et Ecclesiæ non vacantis.

1. Ut collatio aut institutio in beneficio de jure communi fiat, beneficium debet esse vacans. Hinc ad evitandos abusos, qui in collationibus liberis aut institutionibus obrepere possunt, positus est titulus præsens. Beneficia vacare possunt triplici modo; scilicet vel de jure tantum, vel 2º. de facto tantum vel 3º. de jure et facto. De jure tantum vacat beneficium quando nemo illud possidet legitime; unde qui illud retinet, injuste possidet, ex. gr. quia collator jus non habebat collationis.

2. De facto tantum vacat beneficium quando revera nullus adsit qui actu illud detineat quamvis adsit clericus qui jus seu titulum habet ad illud possidendum. Ex. gr. si clericus rite institutus ob vim vel metum impediatur quominus possessionem adipiscatur beneficii vel etiam post captam possessionem ab eodem abjiciatur.

3. Vacat vero de jure et de facto beneficium quando nemo adsit ad quem spectat ex concessione canonica titulus et jus beneficii, nec simul aliquis exstet qui possessionem actualem ejus habeat. Ex. gr. si is qui legitime possidebat beneficium demoriatur aut renunciât juri suo, beneficium illico vacat de facto et de jure. Hæc tertia species vacationis constituit veram et proprietam vacationem beneficii ut de eo disponi possit.

4. Porro vacatio contingere potest vel per mortem naturalem, vel per renunciationem acceptatam a superiore, vel per assecutionem pacificam alterius beneficii incompatibilis vel per assumptionem status religiosi, professione secuta, aut alterius status incompatibilis cum beneficio prout est status conjugalis quoad clericos minores. Vacat pariter beneficium de jure, si non serventur conditiones substantiales, quas fundator ad perpetuandam in persona clerici possessionem beneficii constituit *arg. c. 23. De Jur. Patr. et c. 16. de Censib.* Insuper beneficium vacat de jure ob quædam crimina. Scilicet 1º. ob crimen hæresis *cap. 12. De hæret. in 6º.*, 2º. ob crimen falsificationis litterarum apostolicarum; 3º. ob crimen percussione aut capturæ S. R. E. Cardinalium *cap. Felicis § Si qua De pœnis in 6º.*, aut Episcopi quoad beneficium in illius Ecclesia erectum. *Clem. 1. de pœnis*; 4º. ob crimen assassinii *c. 1. de Homicidio in 6º.*; 5º. ob crimen Sodomie *Const. Horrendum 72.*

*S. Pii V. § 3.* — Tandem vacat jure beneficium per sententiam privationis vel depositionis contra Clericum delinquentem a competenti auctoritate ecclesiastica latam.

5. Ex titulo regula principalis eruitur sequens. Beneficium nequit conferri antequam vacet *c. 2. h. t.* Collatio autem beneficii facta ante vacationem est ipso jure irrita; quamvis vacet de facto tantum. Nam adhuc exstat qui habet jure titulum beneficii. Qui vero passus est se immitti in locum sacerdotis viventis idest in locum legitimi possessoris beneficii adhuc viventis, habetur uti intrusus et excommunicationis pœnæ subjiendus est *c. 1. h. t.* et absque dispensatione apostolica nec potest legitime obtinere idem beneficium si deinceps revera vacaverit *c. 7. h. t.*

6. Hec referri potest regula 21 Cancellariæ Apostolicæ 'Si clericus postulat, et impetret a Romano Pontifice beneficium quod dicit vacare per mortem ultimi possessoris, qui tamen possessor adhuc vivit hæc impetratio nulla est'. Quid vero si deinde revera vacet beneficium, et idem clericus illud impetret, nulla facta mentione prioris impetrationis per fraudem obtentæ? Hæc etiam nova impetratio nullius est valoris.

7. Quæritur an saltem possit promitti beneficium nondum vacans, et hæc promissio vim habeat. Promitti nequit de jure communi beneficium nondum vacans ex *cit. c. 2. h. t.*, ubi additur ratio, ne scilicet quis videatur desiderare mortem alterius, in cujus locum vel beneficium se credat successurum. At quid si facta sit promissio? Respondent *c. 3. et c. 13. h. t.* ipsam non valere. At obstat *c. 14. eod. tit.* in quo adstringitur Episcopus providere clericum de beneficio ob factam promissionem. Ut hæc capita concilientur, sciendum est, duplicis generis esse promissiones vel determinatam scilicet, vel genericam. Promissio determinata locum habet cum superior spondet Clerico se illi concessurum fore vel beneficium primo vacaturum vel determinatum beneficium cum vacaverit. Altera promissio quæ indeterminata est et vaga locum habet cum Superior dicat Clerico 'Conferam tibi beneficium'. Porro in hac generica formula promissionis semper subintelligitur conditio *cum potero* . . Prior promissio odiosa est et ingreditur rationem prohibitionis Conc. Lateran. relatam in *c. 2. h. t.* Hinc reprobatur a jure in *c. 2. et 13. h. t.*

8. Altera vero promissio desiderium mortis alicujus non secumfert. Nam qui promissionem obtinuit certus non est de assecutione

beneficii quod vacet, superior enim potuit facile sese eximere a petitione clerici postulantis collationem alicujus beneficii quod vacat. In promissione enim superior non determinavit beneficium clerico conferendum. Hinc hæc promissio non comprehenditur sub prohibitione Concilii Lateran. et alioquin potest esse justa; quia superior potest subdito suo sive ex titulo remunerationis, sive ex motivo consulendi ejus sustentationi promittere canonicam positionem in Ecclesia. De hac promissione generica loquitur *cap. 14.* objectum, et statuit, eam servandam esse.

9. At *capiti 14. h. t.* derogatum est per constitutionem Bonifacii VIII. in *c. 2. h. t. in 6<sup>o</sup>.* quod incipit: *'Detestanda Nos malis hujusmodi'*. Quo in capite reprobantur et nullius valoris esse dicuntur promissiones beneficiorum nondum vacantium quæcumque, et sub quovis modo, aut forma verborum de cætero faciendæ, etiam sub clausula *cum potero* vel *si facultas sese obtulerit*. Uno verbo prohibet Bonifacius quascumque promissiones beneficiorum, per quas vel directe vel indirecte aperiri via valeat ad beneficia vacatura. Ratio hujus rigidæ legis fundatur in experientia ex qua patet istas promissiones ut plurimum per nimiam importunitatem vel mali ambitus sensum extorqueri solere, et exinde multoties concedi beneficia illis clericis, quibus concedenda non forent. Bonifacio consentit Tridentinum in *c. 19. sess. 24. de Ref.*

10. Quare de jure communi abrogatæ fuerunt gratiæ expectativæ et mentales reservationes quæ locum habebant cum Romanus Pontifex per Bullam sibi reservabat aliquod beneficium, vel in genere vel in specie conferendum alicui Clerico quem non nominabat. Ceterum in *c. 21. sess. 25. de Ref.* Tridentinum Concilium declaravit S. Sedis auctoritatem in omnibus salvam esse debere. Ex rebus expositis sequitur nullum Prælatum summo Pontifice inferiorem conferre aut promittere posse sive in genere sive in specie beneficium nondum vacans.

11. Sequitur etiam non valere promissionem patroni de nominatione concedenda ad beneficium vacaturum. — Quæritur an de jure communi possit a Canonicis et ab Episcopo clericus admitti in fratrem eidem conferendo veram canonicam?

12. Si quis admitteretur in fratrem in capitulo, seu canonicam reciperet, præter sedem in choro et vocem in capitulo si assiduis servitiis satisfecerit obligationibus capitularibus, in jure decretalium inductum erat ut quamprimum fieri posset de præbenda

provideretur. Id decernitur in *c. 8. h. t.* et in *cap. Relatum 9. de Præb.* Concordant *capp. 19. eod. et c. 9. de Constit.* Quibus positis, concessio canoniæ implicat promissionem concessionis præbendæ vacaturæ. Quare concessio canoniæ videtur adversari dispositioni Conc. Lateranensis in *c. 2. h. t.* necnon in *c. 2. h. t. in 6<sup>o</sup>.* et *c. 19. sess. 24. Tridentini de Ref.* in quo gratiæ omnes expectativæ nullius roboris esse dicuntur. Profecto si jus antiquum consideremus, dicendum est canonicas non fuisse abolitas a Conc. Lateran. III. Nam canonici sine præbenda quibus tamen conferatur præbenda quando facultas sese obtulerit, admissi sunt ab Innoc. III. in *c. 19. de Præb.* Ratio enim est, quia in concessione canoniæ nulla revera efficitur promissio expressa conferendi præbendam proxime vacaturam, sed solummodo clericus per canonicam inter canonicos adnumeratur, ut onera sustineat et quædam jura habeat. Quodsi jus disponit ut recepto in fratrem clerico præbenda concedi debeat a Superiore ecclesiastico, id procedit ex æquitate quæ non sinit clericum diu in Ecclesia adlaborare et nullum emolumentum percipere ex redditibus Ecclesiæ ad vitæ suæ sustentationem. Quare concessio præbendæ non procedit vi promissionis factæ canonico supranumerario sed consequitur ex titulo æquitatis, quæ innititur et supponit laudabile clericum servitium in Ecclesia *c. 9. de Præb.* Hinc si in ipso actu, id est dum quis in Canonicum supranumerarium recipitur vel distincto actu eidem promittatur præbenda vacatura, adnotant doctores post glos. in *c. 2. h. t. in 6<sup>o</sup>. v. indirecta* concessionem canoniæ utique valere, nullius autem esse roboris factam promissionem vacaturæ præbendæ. Cessat ergo ratio *capp. 2. h. t. et 2. h. t. in 6<sup>o</sup>.* necnon dispositionis Tridentinæ in *c. 19. sess. 24. de Ref.* In istis enim locis juris interdicitur promissio beneficii vacaturi. Hæc dicta sint summo jure inspecto.

13. At inspecta praxi Sacræ Congregationis Concilii binas habemus resolutiones quæ videntur a conceptu veteris canoniæ excludere jus obtinendi præbendam proxime vacaturam. In causa *Veliterna 23. Aug. 1727.* cum ob imminutum divinum cultum expostularetur facultas conferendi canonicatum sine participatione fructuum et distributionum cum conditione tamen quod taliter provisos obtinere deberet præbendam primo vacaturam; S. Congregatio censuit, tribuendam esse Ordinario facultatem concedendi canonicatum sine fructibus et distributionibus non esse vero ad-

jiciendam conditionem. In alia autem causa diei *1. Decemb. 1731* ead. S. Congregatio respondit, Episcopum successorem non teneri obligatione ulla conferendi præbendam vacantem clerico illi, qui ab antecessore habuerat canonicatum sine fructibus: scilicet adnumeratus fuerat inter canonicos supranumerarios. Quare hodiernis moribus, nisi specialis detur consuetudo loci, non videtur amplius locum habere proprie dicta vetus canonia, qua electus vel receptus in fratrem jus acquirebat obtinendi quam primum fieri posset præbendam in sua Ecclesia. Hinc qui inter canonicos supranumerarios adjicitur non potest de jure communi compellere ordinarium collatorem ut sibi conferat præbendam quæ vacet.

#### De Canonicis honorariis.

14. Jure decretalium honor, et dignitas intime connexa erat alicui officio fixo et determinato in Ecclesia idest alicui stabili et canonicæ positioni clericorum cui propria jura unita erant. Quare etiam canonia licet actu præbenda careret, tamen certam spem assequendi illam includebat, et simul secum ferebat onus præstandi servitium chori et altaris, et jus conferebat habendi sedem in choro et vocem activam, et passivam in Capitulo. Siquidem per canoniam clericus a canonicis recipiebatur in fratrem, et quamprimum clericus provideri debebat etiam de præbenda. *Cap. Relatum et cap. Dilectus De Præb.* Quapropter jure Decretalium canonici causa tantum honoris non agnoscebantur, et cum aliquod canonicatus honorifici exemplum apparuit, doctores illum appellarunt *nomen vacuum, dignitatem ventosam.* Ita Fagnanus *com. in cit. cap. Dilectus De Præb. n. 10.* Verum mutatis circumstantiis et præsertim ob diminutas præbendas canonicas, factum est, ut ad augendum divinum cultum, et ad decorandum Episcopi senatum in multis capitulis instituerentur Canonici honorarii. Ex quo sequitur, in electione Canonici honorarii habenda esse præ oculis particularia personæ merita ob quæ honorabili collegio Canonicorum et sedi episcopali decus accedat.

15. Si quæretur cuinam competat jus eligendi Canonicum honorarium, respondemus, prætermissa peculiari consuetudine alicujus dioceseos, regulam generalem esse, hoc jus competere simul Episcopo et capitulo ita ut consensus utriusque simul debeat concurrere. Ita tenuit S. Congregatio Concilii in causa *Fulginatensi diei 26. Febr.* et nuperrime in causa *diei 6. Julii 1867,* in qua pro-

posito dubio 'An Archiepiscopus privative a seipso Canonicos ad honorem nominare, etiamque honorem hunc quibusdam officiis, veluti doctoribus Seminarii, Parochis civitatum etc. assignare valeat, vel potius hoc agere (debeat) de consensu vel consilio Capituli', S. Congregatio respondit 'Negative ad primam partem, affirmative ad secundam' (*acta S. Sedis tom. III. pag. 138.*)

16. Quin immo Canonici honorarii non possunt sibi vindicare jura quæ eis ab Episcopo concessa fuerint contra voluntatem Capituli. Ita resolvit S. Congregatio Concilii in causa proposita die *17. Decemb. 1836.* (*acta S. Sedis tom. IV. pag. 584.*) Ratio hujus regulæ est: quia electio Canonici honorarii exhibet negotium commune Episcopi simul, et Capituli. Dum enim ex una parte nemo ex facto subditorum, invito vel ignorante Episcopo potest juridice honorificum munus assequi et in canone Ecclesiæ describi, ex altera autem parte electio canonici honorarii, quæ refert imaginem antiquæ canonice, idem est ac receptio in fratrem, quæ actum constituit capituli proprium.

Sed quæ jura pertinent ad Canonicum honorarium? — Clericus qui eligitur, nominatur Canonicus honoris causa. Unde ejus positio est solummodo honorifica. Quare nullum jus habet Canonicus honorarius ad præbendam vacaturam obtinendam, nec pariter habet vocem sive activam sive passivam in Capitulo, prout infertur ex decisione S. Congregationis Concilii *diei 11. Januarii 1868.* (conf. *acta S. Sedis tom. IV. pag. 189.*) Verum Canonicus honorarius obtinet jus induendi vestes, insignia et honores canonicas, et si divinis officiis assistere velit, sedem habet in choro post ultimum canonicum titularem ante reliquos clericos beneficiarios seu mansionarios aut capellanos, qui inter canonicos non numerantur. Ita tenuit eadem S. Congregatio Concilii in cit. causa *diei 6. Julii 1864. in responsione ad 2<sup>am</sup> et 3<sup>am</sup> dubium.* Quoad vero peculiariora jura dicendum est, Canonico honorario ea tantum jure spectare, quæ eidem in concessione tributa fuere aut ex alio titulo ipsi legitime competunt. Id infertur ex resolutione S. Congr. *diei 29. Maji 1869.* (*acta S. Sedis tom. IV. pag. 579.*)

17. Quod si canonicus honorarius in eadem Ecclesia habeat Beneficium, quod servitium chori exigat, illud præstare non potest in habitu canonicali, et si id faciat, punctaturis subjicitur. Ita censuit S. Congr. in causa proposita die *19. Aug. 1868* (*acta S. Sedis tom. IV. pag. 317.*)

18. Tandem animadverti debet juxta resolutionem S. R. Congregationis ann. 1847 relata a *De-Angelis h. t. n. 3.* circa finem, non posse Canonicum honorarium suo munere privari nisi ejus indigna conversatio exigat ut contra illum de more procedendum sit ad majora scandala præcavenda. Antequam huic de Canonicis honorariis tractationi finem imponimus, opportunum censemus, Instructionem, quam S. Congregatio Concilii ad abusum in præsentibus et in alia simili materia vitandos Episcopis per epistolam communicavit, adjicere. En ejus tenor:

Perillustris ac Reverendissime Domine uti Fr.

Quamvis Ecclesiasticos Viros maxime deceat humanos honores non quærere, sed de benefactis retributionem a Domino unice expectare, consuevere tamen Ecclesiæ Præsules titulis, dignitatibus, aliisque honoris signis eos decorare, qui, præ cæteris, de re christiana meruerunt: dum enim præstantiores honorantur, virtutem ac scientiam in magno prætio esse habendas ostenditur, et insimul desides ad currendam viam Domini excitantur.

Ast non raro evenit, veluti nonnulli Episcopi conquesti sunt, ut dum Sacerdotes, ætate ac omni virtutum genere venerandi, amant nesciri et pro nihilo reputari, juniores et qui parum adhuc aut nihil in Ecclesiæ bonum contulerunt dignitates appetant, insignia titulosque inhient. Et ubi nulla spes illis adrideat hæc omnia apud suos obtinere, externos circumeunt Pastores, qui aliquando decepti eorum vota facile excipiunt. Quo sæpissime accidit, ut miseri isti in propria Diocesi, inscio Ordinario, et omnibus admirantibus, vel irridentibus, se alienis vestibus indutos exhibeant, seque novis titulis præditos jactent, et ita meliores despiciant.

Porro Eminentissimi Patres Tridentini Juris interpretes ac vindices dum acerbe deplorant, quod sensus Christi de die in diem in quibusdam evanescat, confi-

dunt Amplitudinem Tuam nil intentatum relicturam, ut omnes de Clero Tibi concredito, æmulentur charismata meliora, terrena despiciant, ament cœlestia, et nonnisi in cruce D. N. Jesu Christi gloriantur.

Ne vero in posterum et dignioribus injuria fiat, et honores ecclesiastici vilescant, ipsi Eminentissimi Patres, Sanctissimi mandata exequentes, auctores Tibi sunt, ut raro admodum et caute honoris titulos vel insignia Clericis tuis impertias, sed probatissimis tantum et optime de Ecclesia meritis; Clericis vero alienis nullum unquam conferas honoris signum aut titulum, inscio et invito Ordinario, cujus potestati subduntur.

Hæc dum Tibi nomine hujus S. C. significo, impensum animi mei studium profiteor Amplitudini Tuæ, cui fausta quæque ac salutaria precor a Domino

Amplitudinis Tuæ

Romæ 16. Septembris 1884

Uti Fr. Stud.

Secretarius S. Congreg.

Porro ceu verba ipsa ferunt, sensus ultimi paragraphi *Ne vero* est absolutus et præceptivus, et per consequens legem constituit S. Congregationis, mandatis Summi Pontificis roboratam.

19. Quæritur intra quod tempus beneficium vacans sit conferendum. Si beneficium vacans sit liberæ collationis, conferendum est intra semestre *c. 2. h. t. § cum vero et c. 5. h. t. § fin.* Si vero collatio facta fuerit post semestre ea de rigore juris potest irritari quia facta est postquam collator ex sua negligentia potestate conferendi intra tempus juridicum usus non est. At ipso jure nulla non est. Nam Concilium Lateranense in *c. 2. h. t.* non intendit directe inferre pœnam negligenti collatori sed potius voluit ut quam cito beneficium vacans provideretur de rectore. Facit ad rem *cap. 4. De supplenda neglig. Prælat.*

20. Ex exposita vero regula excipienda sunt beneficia Ecclesiæ non numeratæ. Nam cum certus numerus Canonicorum seu præbendarum non habeatur neque dari potest proprie dicta vacatio. Hinc juxta *c. 25. De præb.* in assumptione seu electione novi Cano-

nici Ecclesiæ non numeratæ, jus novum quodammodo creatur, quod nascitur cum electione novi Canonici, et desinit cum Canonicus demoritur. Hinc transacto semestri jus designandi novum canonicum non devolvitur ad Superiorem *c. 10. h. t.* Verum negligente nimium collatore ordinario, si Ecclesia facultates habeat canonicum sustentandi; ex intentione juris expressa in *c. 1. De inst.* ubi decernitur, tot esse destinandos canonicos quot Ecclesia alere possit, potest superior præfinire terminum eidem collatori ordinario, ut ipse secundum Ecclesiæ consuetudinem provideat eam de novo Canonico; quo elapso ipse superior supplebit negligentiam collatoris ordinarii.

21. Huc referri potest Const. Greg. XIII. *'Humano vix iudicio'* ex qua habemus Episcopum posse conferre beneficia quæcumque liberæ collationis quæ vacaverint per renunciationem coram se factam etiam in mensibus papalibus. Collatio autem hæc facienda est intra mensem et provisos intra tres menses debet eam publicare, et possessionem accipere. Quod si hæc duo tempora non serventur, provisio beneficii Papæ reservati nulla est, et beneficium a Summo Pontifice confertur.

22. Si beneficium sit electivum distinguendum est. Si est prælatura regularis vel prælatura principalis Ecclesiæ Cathedralis scilicet si eligendus sit Episcopus vel Abbas ordinariam habens jurisdictionem, tempus utile electionis perficiendæ est trimestre *c. 41. et 42. De elect.* Si vero est beneficium minus, tempus utile ad eligendam personam est semestre *c. 12. h. t.*

23. Si beneficium est patronatum, Patronus ecclesiasticus habet semestre ad præsentandum, laicus vero quadrimestre. Ita in *tit. 38. De jurepatr.*

24. Adnotanda vero sunt. 1º. Hoc tempus quod conceditur pro conferendo beneficio vacante non decurrere ignorantibus; scilicet sive trimestre sive quadrimestre, sive semestre incipit decurrere a die habitæ notitiæ vacationis: nec corrui legitime impedito *c. 5. h. t. et c. 3. De suppl. negl. Prælat.* 2º. Hoc autem tempus ex quo decurrere incipit, est continuum, scilicet currit etiam diebus feriatis, et de die ad diem computatur. Hæc dicta sint de concessione præbendæ vacantis de jure et de facto.

25. Quid si vacaverit de jure solum præbenda, idest de facto ab aliquo detineatur? Ex dispositione *c. 6. h. t.* inspiciendum est, utrum possessio sit colorata; idest ex titulo colorato habita, vel

non. Si primum, fieri potest ut ex ea enatum sit jus seu titulus beneficii, quemadmodum si possessio fuerit triennalis. *Regul. 36. Canc. Apostolicæ.* At si jus hoc non fuerit enatum, poterit beneficium conferri, quemadmodum etiam beneficium conferri poterit quando notum sit, possessionem esse prorsus illegitimam seu neque coloratam. At citari debet semper possessor ut rationes suas deducat. Quod si possessor vel defecerit in illis exhibendis, vel non comparuerit tempore utili, a possessione ejicitur et beneficium alteri confertur.

## TITULUS IX.

## Ne sede vacante aliquid innovetur.

1. Nomine sedis præcipue intelligitur Ecclesia Cathedralis, seu Episcopalis; ea enim proprie appellatur sedes; idque docet *c. 1. h. t.* At ob similitudinem juridicam, nomine sedis veniunt etiam abbatia, præpositura, aliæque dignitates quæ reguntur a prælatibus ecclesiasticis jurisdictione præditis *c. 41. De elect.* Immo ex *glos. in c. 1. De reb. Eccl. non alienand. in 6.* in sensu tituli nostri vocabulum *sedes* ad beneficia etiam minora extenditur.

2. Sedes autem vacare dicitur cum Cathedralis Ecclesia vel beneficium careant proprio rectore sive titulari sive commendatario. Dicimus *sive commendatario*; nam hodiernis moribus concessio beneficii in commendam æquiparatur concessioni in titulum. Si quærat quoadusque vacare Ecclesia vel beneficium censeatur, distinguendum est. Si sermo sit de sede episcopali, censeatur vacans quoadusque literæ apostolicæ de novo Episcopo promoti vel confirmati in curia Romani Pontificis non fuerint præsentatæ Capitulo Cathedralis Ecclesiæ. Idemque dicendum de sedibus abbatialibus, de prioratibus etiam regularibus, quorum provisio pertineat ad Sedem Apostolicam. Utramque dispositionem habemus in *extr. 1ª. De elect. inter comm. § Præsenti*, in qua decernitur, Episcopos aut alios prælatos electos aut confirmatos in curia Pontificis non posse absque literis Apostolicis accedere ad suas Ecclesias, et administrationem bonorum suscipere, nec ab aliquo recipi posse, et obedientiam exigere ante ostensionem literarum ipsarum. Hanc dispositionem renovavit et explicavit Pius IX. in *Const. Rom. Pontifex edita V. kal. Sept. 1873*, cujus summam exhibuimus in *tit. De elect.*, cum ageremus de juribus electi ad prælaturam vacantem.